133 CONSTANTINO HUGENIO, V. ILL. 315

JANUS VLITIUS S. P. D.

303

Indignus sim tot acceptis a te beneficiis, nisi eorum, quae nuper duobus inter Senatum Academicum nostrumque acta sunt, et etiamnunc aguntur, certiorem te reddam, Zulechemi Nobilissime. deposcit enim res curam tuam potissime, nequid detrimenti hinc capiat et Athenaei et Triumviratus vestri dignitas atque existimatio. Quid Paulo lanistae cum Snellij Cos. filio ante tres fere menses duelli fuerit, ex Renessio aliisque sat puto intellexti. Uter tamen aggressor et discriminis ansam causamve praebuerit, admodum in ambiguo adhuc est. Si testimonijs fides sua constaret (quorum ego pars nonnulla fui, qui cum caeteris sequentem Snellium vultu adirato, cedentemque Paulum, sed nondum strictis gladijs, meis hisce oculis vidi) Snellius non modo aggressus est, sed et prior percussisse videtur. Sin Medicorum conjecturis ex vulnerum constitutione desumptis credas, jacentem Snellium oppressum dicas. Relicta itaque in medio rei veritate (nondum enim haec apud nos in consilium venit) unica disceptatio inter nos agitata est, quorum jurisdictio esset. Erant aliqui (ne καθ' ἕκαστον sententias referam) erant, inquam, qui contenderent nostri fori rem esse, adeoque evocandam, quamvis per duos et amplius menses caussae cognitionem Professoribus reliquissemus, ipsisque petentibus lictorum nostrorum opera uti in reo custodiendo permisissemus. Et sane tanta horum pro more suo in favorem Consulis, quem eo modo jam in partes suas pertraxere, pertinacia fuit, ut Ventridio propraetore mandatum sit, reum perquirere, et officio suo adversus eum fungi. Equidem tum tacitus supersedebam, cum sententiae dicendae libertas, praesentia ipsius Cos. qui praeter ritum atque ordinem deliberationi intererat, impediretur. At vero simulac ea, post aliquot dies, caussa iterum in judicium deducta, mihi reddita fuit, per intercessionem obtestatus sum, nos nec rite nec jure acturos, si eam Professorum cognitioni, quam hactenus non modo tuleramus, sed et opera lictorum nrorum promoveramus, postliminio subtraheremus: huc accedente, quod et actor, et imprimis reus illorum fori essent; tum quoque statuta Ill^s. Scholae, non nobis sed illis (et quidem faventibus nobis) scripta, illis suam asserere jurisdictionem: et cum jam acris orta esset perque aliquot dies extrahe-

retur disceptatio super aliquot commatum interpretatione;
negavi et hoc nostri arbitrij esse, quod sibi servarit et
relictum voluerit Princeps. Eum itaq vel consilium esse
consulendum. Nihil impetravi. Interea tamen Senatus
Academicus, ubi percepit se negligentiae socordiaeq praeter
meritum propalam notari, et jurisdictioni suae controver-
siam motam, dico Ventridio, utpote et suo jam propraetor
jure agere adversus fugitivum imperavit, et citari de-
crevit. Consul ne hanc illorum vigilantiam probaret,
etiam aperte indignatus questusq super ea re apud nos
fuit, Professores praeter officium et statuta agere; ea
iterum in examen vocata, et pro voluntate cujuslibet
accepta. Cum ea, quae supra dixi, repetijssem, neq hi-
lum profecerem, obtinui tandem, ne quid saltem incon-
sultis Professoribus decerneretur. Praesidi ac mihi, etsi
is sibi sibi depoposcerat, provincia data est super toto
negotio cum Senatu agendi; cum mandatu tamen, ut
ne nimis de jurisdictione contenderemus; sed ut inqui-
reremus saltem quo modo ac ratione accusationem suam
defensuri atq executuri essent. Ubi habere Senatum com-
perimus, adimus, et magnifice admittimur. Postquam
consedimus, ibi tum vetus ille veterator nihil minus,
quam quae mandata erant, agere, sed totis eloquentiae
suae viribus illorum jura disputare, statutorumq sensus
convellere adnititur. Verum ita exceptus est ab om-
nibus, imprimis a Pellio Bornioq, ut elusis omnibus
subdolae, qua pollet inter suos assentatores, facundiae ma-
chinis, ad incitas sermonis redactus mihi secundas di-
cendi fecerit, et tanquam succenturiaturum sibi advo-
caverit. Heic ego praeter omnium expectationem, non
suppetias ferre victo, sed ipsa mandata exponere, et
rem, uti oportebat, quasi in medium collatis consilijs
tractare occoepi: hortari ut pergerent: opem operamq
nostram, quoad opus esset, offerre. Quod quanto gratius
rectiusq visum fuerit Senatui, ex illis, quam me, acci-
pias malim. Postero die Senex noster ex consueta sive
malicia sive oblivione, omnia alia retulit, quam quae
apud Senatum acta. Convenisse scilicet inter nos atq
illos, ut Ventridius pro praetore communi nomine age-
ret, reumq coram suo judice, indeterminate citaret.
Jure secundae relationis mihi facto, obtestatus sum, nec
mandata servasse Praesidem, nec ex vero acta referre:

assentiente, & confirmante utrumque Hausmanno, qui &
tum nobis, & pridie in Senatu affuerat. Tandem itaque
(ne te longis ambagibus ultra
Quam satis est, morer, Hugeni doctissime,
ut nos quidem senilibus istiusmodi fabulis & hunc &
plurimos perdidimus dies) pedibus itum est in senten-
tiam Drabbæ, censentis ad vestrum "scribendum" consilium (cui
te iterum insertum læti intelleximus) & ex placito
vestro rem definiendam. Scriba noster, quem honestiore
scilicet vocabulo Graphiarium barbarè indigetat vulgus,
in omnibus assuetus Præsidi, affini suo (nupsit enim
fratris, qui Hagæ est, filiæ) assentari, longe aliam,
quam sententiæ omnium ferebant, dictavit epistolam,
cujus exemplar ex autographo ejus descriptum, ut
intelligas quid a talibus hominibus & Principibus &
Civitati & Athenæo sperandum sit, hic habes. Et sane
jam missa vobis fuisset, utpote a Bernagio & reliquis
istius factionis, quorum dux ipse, quem dixi, Præses,
adprobata, nisi & hic tertium pravis illorum consiliis
intercessissem: ea maxime caussa; quod iniquum vide-
batur Domino legem statuendi præscribere; eaque nunc
impugnare, quæ publico applausu modo accepta sunt:
Si de mittenda epistola contendere pergent, ego solenni
obtestatione (quod unicum & frequens nunc mihi contra
iniquissimam factionem suppetit remedium) ab isto cri-
mine & rebellione me eximam. Quam recte egerim,
tuo judicio & consilio (quo inter hasce publicas tem-
pestates nunc unice opus habeo) relinquendum censui,
Zulechemi, Virorum decus. Instat [e]nim tempus &
justissima occasio mutandorum, ut nos speramus, ma-
gistratuum. Sin minus, cedendum erit tam gratiosæ
factionis invidiæ, cui ferendæ humeri mei non amplius
sufficiunt. Utcunque res ceciderit (veremur enim
ne lentum istud inter Dominas "protrahatur negotium
"ultra instantes Kalend. Octobres) ego Musarum in ca-
stra vel reditum vel refugium paro: Eoque iterum atque
iterum per Phœbum tuum, & ipsas, quas tam religio-
se colis ac tueris, Musas tuas obsecro, vitæ me redde
priori. Sic illas magis magisque propitias habeas,
Teque Palatinus sic servet Apollo, Tuosque.
Vale Musarum Patrone Sacratissime, æternæque sæculi
vive gloriæ. Dabam, Bredæ, Idibus Septembribus A°.
☧. CIↃ IↃCXLI. Nobiliss. Filios plurimum salvere jubeo:
nec non Benivolentissimum mihi, Senatorem Ampliss. de Willem, qui-
cum isthæc, carmenque quod in pignus devotionis addo, si tanti videbi-
tur, communicari optem; latius ad τὸν δεῖνα, cum tempus jam
non ferat, De miserrimo civitatis & ordinis nostri statu, scripturus.

© British Library
Add MS 22953, f. 303-306
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5177

Viro ILL.mo

CONSTANTINO HUGENIO Eq.ti

Zulechemy Zelemyg Domino

Hagam Com.

XXXI

Elegia,
Ad Illustrissimum
Zulechemii Zelemiiq; Dominum,
Cum Quinquatrus Bredanas
meas censura sua probasset.

Ergo Zulechemios, domino mandante, penates
Ausa mea est timido Musa subire gradū;
Jussa & in ignotas concessi luminis auras
Prodire, auspicijs sarta tegenda tuis,
Maxime Vir, Phœbi per te renitentis imago,
Dextra Ducis, nulla parte sinistra, manus;
Utraque vel potiùs, sic fas est, dextera, dici;
Filius hoc consors fas mihi Patre facit.
Quod tremat, haud mirum, submissaq; contrahat arctè
Lintea, per vastûm navis itura fretum.
Plena domus Divûm; geminat domus ipsa pudorem,
Quamq; suo complet numine, major Herus.
Hic Phœbi Antistes habitat, diræq; Triumvir
Pallados; hic, merito nomine Celsus Eques.
Sed treme, submissamq; notet reverentia frontem;
Sic decet ad celsos tendere, Musa, viros.
At miti si illam, Censor, dignabere virga,
Lecturo fieri Principe digna potest.
Tū mihi, qui deerant animos in plectra capaces
Addis, & audentem deside tollis humo.
Debilis & quamvis, tanto censore, valebo;
Quem mihi si demas, cætera nullus ero.
Tū mihi nascentis largitus munera famæ,
Et facis ut multo publicus ore legar.
At non tanta meo fiducia pectore quondam;
Nec face devotum spes ea fovit epos.
Non ego Pieridum, cingendus tempora lauro,
Hactenus in luco conspiciendus eram.
Me sibi sed teneris Astræa sacravit ab annis,
Et patrij jussit discere jura fori.
Et quæ defessam laxaret in otia mentem,
Pæne nimis Criticæ culta subinde fuit.
Illa quidem veterum pandit mihi scrinia vatum,
Et docuit certo verba notare stilo.

Non tamen

© British Library
Add MS 22953, f. 303-306
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5177

Non tamen illorum propius vestigia pressi,
Credideram accessu quam procul esse meo.
Sæpe licet fatear multum arrisisse legenti
Dædala legitimis verba ligata modis;
Plus tamen ut Batavum semper decuisse putabam,
Quæ modo prodessent, libera verba loqui.
Non secus ac stolido placet ignorantia vulgo;
Et neq, quod nescit, scire laborat iners.
Forsitan et tenui si quid modulabar avena,
Reddebam ventis flamina nata suis.
Aut si qua ignaro subrepta est litera furto,
Illa fere invito litera rapta fuit.
Talia multa quidem memorem super usq fuisse,
Si quidquam invitus jam superesse velim.
Defuit his judex, optataq defuit aura,
Quæ fuerat nutu sola petenda tuo.
Tu mihi vel totum poteras in carmina Phoebum,
Tu vel Arausiacum conciliare Jovem.
Martis Arausiaci lauros quæcunque celebrat
Omnis ab auspicys ducta Camœna tuis.
Non signare sacras satis est, tua cura, tabellas,
Et toties dubio consuluisse Duci;
Sed, cujus fueras pars magna, comesq, triumphi
Dividis Aonio gesta canenda gregi.
Sic toties vasto irriguus Barlæus ab Yâ,
Annua bella canens, limina nota petit:
Et norunt eadem, docti nova[x] lumina Mundi, [x] duo
Heinsiadesq pater, Heinsiadesq puer.
Arguti numerosque, Tibi, geniumq Brunonis
Quid referam? vestri est ille colonus agri.
Qui tibi tot salibus convivia condit amœnis,
Et peragit lepidis prandia docta jocis;
Qui facit attentis fallantur ut auribus ora,
Cedat & apposito sæpe lepore lepus.
Forte meos nuper quo commendante libellos
Laudari tibi, Vir Maxime, passus eras;
Sis tamen esse meum pote commendabile quidquam,
Neve suum facilis præco fefellit herum.
Profuit

© British Library
Add MS 22953, f. 303-306
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5177

Σὺν Θεῷ. Sep. MSS. 319

N° 222.

134

307

Vir Illustris. S. P.

Hagae cum non ita pridem essem, hebdomada proxima
elapsâ, idque negotii illius mei causâ; desiderabam Illustris

318

306

Profuit ille meis certe Caducifer ausis;
Materie tali nam fabricandus erat.
Cui precor ut facilis longeque domesticus adsit
Phœbus, Arausiaci lenis et aura Iovis.
Hic sua dilatis captavit tempora rebus,
Et loca secessus interiora tui:
Si modo tot gravido detur secedere rebus,
Temporeque a curis liberiore frui.
Sed, reor, obtinuit vacuam vafer arbiter aurem,
Cumque brevi officium rite salute tulit.
Tuque, quod effecisti nulli gravis esse clienti,
Legisti placida fronte clientis opus.
Fallor; an et dixisti aliqua tolerabile parte,
Qua celebrat Celsos pagina longa Duces?
Fallor; an et titulos tacita sub imagine vestros
Sensisti, ut parcè, terve quaterve legi?
Traxerit et vultum forsan sensumque legentis
Emendaturæ densa litura manus;
Moverit aut risum ficulnea pompa Deorum,
Tu quoque quos acri strinxeris ante sale;
Moverit et risum conserta dracone papyrûs;
Quicquid et artifici luserit igne puer.
Sic quoque ridenti mea sit placuisse, quod optem,
Gloria, summe trium- Virque decusque Virûm.
Nec dubitem populo, tibi quia patiare probari,
Præsidibusque chelyn posse placere tribûs.
Et mea jam vultum Musa ostensura recentem
Audeat afflatû fortior esse tuo.
Sic tibi, dum Patriæ vivas, Patriæque Parenti,
Patria sit salvo salva Parente diû.
Sic commissa tuæ, Vir Constantissime, curæ
Servet adoratum Pallas in orbe capût;
Impensamque sibi dea quam tibi grata rependat,
Reddatur soboli mutua cura tuæ.

Janus Vlitius.

© British Library
Add MS 22953, f. 303-306
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5177

Non tamen illorum propius vestigia pressi,
Credideram accessu quam procul esse meo.
Sæpe licet fatear multum arrisisse legenti
Dædala legitimis verba ligata modis;
Plus tamen ut Batavum semper decuisse putabam,
Quæ modo prodessent, libera verba loqui.
Non secus ac stolido placet ignorantia vulgo;

Illustris Dnã
Obsequiosiss.
Infimus Cli
Lambertus
waterfact

© British Library
Add MS 22953, f. 303-306
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5177